

A Nam longa uexati ægritudine, cum natura debilis, adeoq̃ exhausta est, ut recreari nequeat, ex asphalto hirciq̃ barba uapores faciunt, quò malus odor boni immenſiq̃ uirtutem contundat. Bona enim, mensura & modo sumpta, hominibus profunt, & afferunt uoluptatem; temerè & casu, inutilia redduntur. Huius gentis metropolis est, quam Saban appellant, supra montem sita. Reges habet ex generis successione, eos quibus multitudo honores distribuit bonis malisq̃ immixtos. Beatam nanque uitam habere uidentur, quòd reliquis imperâtes, rationem ab se gestorum minimè coguntur reddere. Infelicem uerò, quòd nunquam regiam exire queunt. Nam si palam prodirent, à turba hominum lapidibus ueteri quodam deorum responſo, obruerentur. Hæc natio non solum propinquis barbaris, sed cæteris hominibus ditior atq̃ opulentior habetur. Nam in mercaturarum commercio ex parui ponderis re plurimum precij à mercatoribus in rerum commutatione capiunt. Ideoq̃ cum nullam unquam calamitatem ea gens sit experta, auri autem argentiq̃ copia, præsertim Sabæ, ubi regia est, superſit, toreumata argentea aureaq̃ omnis generis populorum habent; lectos insuper, tripodasq̃ argenteis pedibus, cæteramq̃ suppellectilem ultra fidem sumptuosam. Magnis quoq̃ columnis porticus sulciuntur: quarũ capita tum argentea tum aurea existunt: laquearia uerò ac portæ aureis phialis preciosis lapidibus intermixtis, totius domus sumptuosissimum ornatum ostendunt. Alia enim auro, alia argento, quædam lapidibus splendent. Nonnulla tum elephantorũ dentibus sunt exculpta, tum multis præterea rebus alijs quæ plurimi apud homines existimantur. Et hi fanè multis seculis perpetuam habuere felicitatem. Absuit enim ab eis penitus, quod multos in præceptis dedit, ambitio per avaritiam aliena possidendi. Horum mare albo colore esse uidetur: quod cum mirabile sit, eius rei causam quærenda dedit. Insule sunt felices propinquæ, quarum urbes mœnijs carent. Pecora in eis omnino alba, cornua fœminis natura defunt. Ad has mercatores commentum undiq̃, sed maximè ad Potanam, quam Alexâder iuxta Indi fluminis ostium

B condidit, locum in Oceani littore nauibus recipiendis aptum. Et hæc hæcænus. Nunc illa quæ in eis locis miranda in cælo uidentur, non omittenda. Sed præcipua admiratione uidentur digna quæ de Arcto scribunt, multumq̃ dubij afferunt nauigantibus. A mente enim Martio nullum eorum septem quæ circa Arctum sunt astra, usq̃ ad primam Vergiliam uideri dicunt, maiore autem usque ad secundam horam, pauloq̃ post, parum aspici à nauigantibus: at qui planetæ appellantur, non aspici omnino. Aliorum autem quædam maiora nostris uideri, quædam dissimili ortu atq̃ occasu. Solem nõ tanquam apud nos paulo ante ortum iubar emittere, sed adhuc nocte obscura subito apparere lucentem. Ideo nunquam diem in eis locis, prius quam sol uideatur, oriri quem ex medio pelagi tradunt surgere incensis carbonibus similem, radiosq̃ permagnos procul asserre: forma autem apparere non rotunda, quemadmodum apud nos, sed columnæ simili, paulum à summo capite luculentiorè aspectum habente. Præterea neq̃ splendorem neq̃ radios usq̃ ad primam horam præbere, sed uelut ignem absq̃ luce in umbra uideri. Secunda hora ueluti clypeum fieri, lumenq̃ præbere continuum, & supra modum feruens. Circa occasum econuerso cõtingit. Nam uidetur aspectu orbem nouis radijs illuminare horis duabus: & ut Agatharchides Cnidius tradit, tribus. Hoc uerò tẽpus incolis periculũdum. Iam diminuto uergente in occasum solis estu, Zephyrus & Libycus & Euri uenti apud eos, sicut & apud alios, spirant. Nothi uerò apud Aethiopiã neq̃ uigent, neq̃ noui existunt. Apud Arabes ac Troglodytas adeo calidi supra modum regnant, ut & exurant herbas, & ad umbras quoq̃ confugientium debilitent corpora. At Boreas merito optimus existimatur, cum sit ubiq̃ terrarum frigidus.